mentumque dimissum. Interrupta uox lingua resoluta. & haec dicimus
non exprobrantes ut superius dixi neque insultantes ruinae eius sed uestram
mentem mollire cupientes. & ad misericordiam prouocare ut contenti iam
sitis cruciatibus eius. & effugiat uobis poena quam patitur. Multi enim
sunt inter nos crudelius agentes & in supplicia eius ardentius saeuientes qui
etiam nos culpant cur eum susceperimus & cur indulserimus ut sacro
sanctum altare contingeret. propter ea ergo exposui supplicia eius quae
nulla inferente perpetitur. Sed dic mihi frater quid indignaris. quid
tam pertinaciter saeuis. Cur igitur ad ecclesiam confugiat. is qui semper expug
nauit ecclesiam. Propter hoc maxime. In his enim oportet glorificare
dominum. qui permisit eum in id necessitatis adduci. ut et ipsum & uirtus
quae est ecclesiae & misericordia nosceretur. Virtus quidem ex eo
quod inpugnatorem suum supplicem uidet. Misericordia uero ex eo
quod protegit supplicem & sub alis suis contegit. Cuius ductu hostilia
tela contempsit. Quodque inmemor priorum malorum suorum. sinum suum
cum pietate pandit ei cuius uulneribus numquam cessit. Quid hac
uictoria clarius. quid ista uirtute prestantius. hosti non cedere et mi
seris subuenire. Haec pietas gentiles confundit. Iudaeos arguit.
Laetificat credentes. Nunc enim meum misericordiam fecit. Cum
omnes amici & familiares eius reliquerunt eum. Cum adulatorum
& satellitum eius nunquam nullus est. sola ecclesia uelut omnium ma
ter. & quae memor sit sese ex hostibus ac persecutoribus dilatatam recep
tum sub alas suas & pectus suum iracundiae regis opponit. furori plebis
obsistit. Odia omnium perfert & inpugnari se gaudet pro eo a quo
expugnabatur. Ista sunt ornamenta altaris ecclesiae. Iste decus
uirtutum eius. Ista sunt christianae pietatis insignia. Sed nefas est inquid
istum flagitiosum raptorem atque inuasorem cunctorum dei unum
altare contingere. Nolo haec dicas karissime. quoniam quidem & meretrix
illa peccatrix contigit pedes christi & non ex hoc obprobrium contu
lit christo sed insignia uirtutis eius elicuit. Neque enim inmunditia

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc452/0235